



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1707**

Q. 76. Quid notandum sit circa alias propositiones hìc damnatas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42515**



ergo vel manifestè est perjurus, vel jurat  
sinè animo jurandi, quorum utrumque certò  
est illicitum.

§. 6. Si quis dicat verba juratoria, nihil affir- 281  
mando vel negando, v.g. *Testor Deum, reddas mihi  
librum; per Deum quàm nunc est frigidum &c.*  
peccat venialiter, quia temerè & in vanum assumit  
nomen Dei, & quidem sinè animo jurandi, quod  
est indecens; non est tamen gravis irreverentia,  
ita *Carden. num. 33*

§. 7. Qui narrat Juramentum ab altero factum, 282  
v.g. qui sic dicit, *Titius sic juravit: Ego testor Deum,  
quòd sim innocens,* nihil peccat, quia licèt dicat  
verba juratoria sinè animo jurandi, tamen  
nullo modo jurat nequidem exteriùs, nam  
illa verba non dicit nomine suo, sed tantùm mate-  
rialiter veluti dicta ab altero; neque in hoc, per se  
loquendo, est ulla indecentia.

Q. 76. Quid notandum sit circa alias propositiones 283  
*hic damnatas. R. §. 1. Innoc. XI. damnavit sequentes:*  
26. *Si quis vel solus vel coram aliis, sive interrogatus  
sive propriâ sponte, sive recreationis causâ, sive  
quocunque alio sine juret se non fecisse aliquid, quod  
revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod  
non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel  
quodvis aliud additum verum, revera non mentitur,  
nec est perjurus.* 27. *Causa justa utendi his amphibo-  
logiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salu-  
tem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel  
ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis  
occultatio censeatur tunc expediens & studiosa.*  
28. *Qui mediante commendatione vel munere  
ad Magistratum vel officium publicum promotus est,  
poterit cum restrictione mentali præstare juramentum,  
quod de mandato Regis à similibus solet exigì,*  
non



*non habito respectu vel ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum. Pro intelligendis his damnationibus,*

- 84 §. 2. Notandum, restrictionem mentalem esse duplicem, alia est *purè mentalis*, alia *non purè mentalis*. Restrictio *purè mentalis* est, quando tota oratio spectatis omnibus circumstantiis, prout exterius profertur, est absolutè falsa, in mente autem aliquid subintelligitur, per quod fieret vera, & tamen illud subintellectum nullo signo externo manifestatur, neque in illius cognitionem humano modo veniri potest, v.g. *Tu me interrogas, an hodie viderim Petrum, ego respondeo, non vidi, & in mente subintelligo, non vidi in foro, cum tamen viderim domi mea,* restrictio illa est *purè mentalis*, quia ex nullis circumstantiis prudenter colligi poterat te interrogare de visione in foro, aut me de illa respondere. *Restrictio non purè mentalis* est, quando oratio spectatis quidem præcisè verbis aliquem sensum absolutum faceret, sed prout in his circumstantiis profertur, satis intelligitur aliquid ad illam spectans retineri in mente, ita tamen, ut per illas circumstantias vel per aliud signum exterius consignificetur illud, quod in mente retinetur, v.g. *Titius jam recenter non vidit Sempronium, Cajus occurrit Titio & sollicitè petit, vidistine Sempronium? hinc Cajus in mente retinet, jam recenter, ideóque Titius responder, non vidi, ubi etiam ipse in mente retinet, Sempronium recenter, hæc verò tam ex parte Caji interrogantis, quàm Titii respondentis sufficienter consignificantur per circumstantias sollicitè quærentis & respondentis in illis circumstantiis. Iterum, hæc voces, *peto linguam bovis, si dicas illas in macello, significabunt linguam**



linguam carneam animalis; si dicas in pharmaco-  
peo, significabunt herbam, quæ dicitur *lingua*  
*bovis*, ergo sicuti circumstantiæ loci hîc postunt  
consignificare aliquid, quod in mente retinetur, ita  
etiam aliæ circumstantiæ vel alia signa poterunt  
consignificare aliquid in mente retentum, licet  
verba præcisè id non manifestent, ita *Artd. T. 2. p. 2.*  
*T. 1. Q. 1. Steph. T. 4. D. 10. D. 4. Vind. Gob. P. 2. Prop. 21.*  
aliique apud ipsos. His suppositis,

§. 3. Restrictio purè mentalis non excusat 285  
à mendacio vel perjurio, ita multi apud *Dicaft. d. 2.*  
*n. 299*; licet ipse à num. 300. contradicat, sed videtur  
manifestè sequi ex damnatione propositionis 28:  
Ratio autem est, quia locutio illa absolvitur  
verbis illis præcisè prolatis, & exercitè seu æqui-  
valenter dicit hunc esse totum conceptum mentis,  
quem ad audientem dirigit, ergo cùm neque ex se,  
neque ex circumstantiis habeat vim significandi  
totam propositionem internam, aut partem illam  
in mente subintellectam, per quam propositio  
interna ad audientem directâ fit vera, locutio tota-  
liter sumpta est contra mentem, ergo mendacium,  
& si juretur, est perjurium.

§. 4. Restrictio, si non sit purè mentalis, 286  
excusat à mendacio & perjurio: patet, quia verba,  
ut conjuncta talibus signis vel circumstantiis  
humano modo cognoscibilibus, sunt significativa  
integræ propositionis mentalis, etiam illius partis,  
per quam verificatur oratio, oratio autem vera  
licitè juratur, si cetera adsint, ergo.

§. 5. Restrictio non purè mentalis est licita, 287  
saltem ex gravissimis causis, v.g. si aliter non possit  
vitari mors aut aliud malum morti æquivalens,  
ut mutilatio, perpetuus carcer; item ad salvandû  
secretum Principis, sigillum Confessionis &c.

Ratio



Ratio est, quia cum talis restrictio per se mala non sit, quamvis per accidens & sine causa usurpata possit servire malis fraudibus & obesse commercio humano, uti rectè probat *Palav.* de Fide c. 2, tamen ubi tales gravissimæ causæ eam cohonestant, reprehensibilis non est.

288 §. 6. Non est restrictio purè mentalis, si quis respondeat ad mentem interrogantis, quamvis verba, quæ respondet, de se forent falsa, si non dicerentur in illis circumstantiis, v.g. si me interrogas, an occiderim Cajum, respondeo, non occidi, & licet occiderim, non mentior nec pecco, quia in circumstantiis illis, in quibus crimen est planè occultum, quod si fatear, periclitatur vita mea, non debeo præsumere, nisi aliunde mihi constet, quòd me interrogas, an crimen commiserim absolutè, quia non habes Jus ad me ita absolutè interrogandum, neque in illis circumstantiis teneor id, quod nequidem semiplenè est probatum, revelare tibi, cum certà jactura vitæ, quamvis tu etiam eses Judex meus, ad hoc enim me obligare eset nimis durum & superans humanam imbecillitatem, uti plurimi docent cum *Carden.* in 2. Crisi D. 19. n. 81, & dicitur L. IV. n. 1521; itaque prudenter præsumo, quòd interrogas me, an occiderim Cajum, ita ut constet, ut probari possit, ut tibi fateri debeam; & conformiter ad mentem, quam tu interrogans habes vel habere debes, verissimè dico, non occidi, quia sic non occidi, ut constet, ut probari possit, ut tibi in illis circumstantiis fateri debeam; atque ad hoc significandum determinatur mea oratio, partim per illa verba, partim per illas circumstantias, in quibus me interrogas, & quas tu scis vel scire debes, ita *Suar. Lug. Carden.* num. 48. *Steph. Vind. Gob.* suprà. Quòd si tamen putarem



te aliter & absolute interrogare, non possem sic respondere, alioqui mentirer, sed deberem te aliter eludere: similiter, inquit *Cressp. in Q. Mor. Q. II. n. 10.* & *Carden.* supra, si fecisti ante annum homicidium & confessus sis, hodie autem confitearis, uti soles, & te interroget Confessarius, an forte aliquem occideris, dicis, *non*, neque mentiris aut peccas, quia interrogatio Confessarii æquivalet huic, occidistine, quod non sis confessus, sed nunc confiteri debeas? non enim habet Jus ad aliud interrogandum, & ad hanc ipsius mentem bene respondes te non occidisse: unde universaliter ponunt hanc regulam *Sanch. & Carden. n. 26*, quamvis verba ex se ambigua non sint, sed deberent aliquid determinate significare, si tamen attentis circumstantiis loci, temporis & personæ, vel interrogantis vel respondentis, aut quovis alio signo, humano modo perceptibili limitentur ad aliud significatum, non est restrictio pure mentalis, neque illicitum sic usurpare, si adsit gravis causa; & ita excusat *Carden.* illum, qui interrogatus, an latro hæc transierit, statim manum in manicam inserit, aut stans in loco, figit signanter pedem super uno lapide, & dicit, non transiit hæc, intelligendo, per manicam vel per illum lapidem, ad quod significandum dat sufficiens signum, quando statim ad interrogationem alterius advertenter ponit manum in manicam vel pedem ita figit super lapidem; quod autem alter signa illa non advertat, uti advertere poterat, sibi imputet.

§. 7. Quando non sunt valde graves causæ ita restringendi, si fiat restrictio, præsertim ex parte solius respondentis, communiter erit pure mentalis adeoque illicita, v.g. Pater interrogat filium, fuistine in popina? non licet filio dicere, non fui, subintel-



subintelligendo, ita ut tibi constet, ut fateri debeam &c. Ratio est, quia ubi non sunt graviores causæ restringendi, interrogatio censetur fieri absolute secundum verba tantum; & sic habet commune iudiciū omnium hominū, nam interrogans habet Jus sic interrogandi, neque est supra humanā infirmitatem tum respondere secundum verba præcisè, ergo hæ circumstantiæ non sunt tales, ut possint censerī simul cum verbis constituere orationem manifestativam alicujus, quod in mente reservatur, ergo est restrictio purè mentalis & illicita.

290 §. 8. *Sanch. & Carden. n. 32.* putant, quando est aliqua justa causa, semper licitum esse uti verbis æquivocis in uno sensu, quamvis audiens putet me loqui in alio, v.g. *Si occiderim hominem Gallum, me posse dicere, quòd non occiderim gallum, intelligendo, gallinaceum; item quamvis Titius jam sit domi, me posse dicere, Titius jam non est domi, per Tò, non est, intelligendo, non comedit; item si aliquid non sciam evidentè, me posse dicere, non scio, quamvis omnino probabilissimè sciam, quia nempe non habeo scientiam de hoc, id est, conclusionem certam & evidentem deductam ex præmissis certis & evidentibus: sed doctrinam illam sic puto esse intelligendam, quòd licitum sit uti vocibus æquivocis, quando adest causa rationalis, dummodo per aliquod externum signum vel circumstantias humano modo cognoscibiles colligi possit aliqua determinatio talium vocum ad significandum illum conceptum, qui est in mente; ratio autem est, quia per se non est malum nec mendacium, cum voces de se sint aptæ plenè significare utrumque conceptum, ad significandum autem hunc præ illo determinantur per alia externa signa vel circumstantias: deinde*

non



non est Lex, quæ id fieri prohibeat, aut quæ præcipiat signa vel circumstantias omnino clarè explicare, quando est rationabilis causa dissimulandi, tum enim satis est, quòd illa omnia ponantur, per quæ hic determinatè conceptus mentis adæquatè manifestetur & humano modo intelligi possit, quæ si tu non capias vel non advertas, hoc tribue tuæ ignorantiaë vel tarditati: Si absint tales circumstantiaë, sed adsint oppositaë, hæc determinabunt ad oppositum sensum, adeòque si aliter intelligam, ero mendax. *Sit exemplum*, tu interrogas me, an sim *malesanus*, & intelligis, an malè valeam; ego habens causam rationabilem non fatendi me malè valere, indignanti similis respondeo, non sum *malesanus*, & intelligo non sum stultus; neque per hoc mentior, neque purè mentaliter restringo, quia vox, *malesanus*, utrumque significat, & per indignationem determinatur ad significandum potiùs secundum mentem meam quàm secundum tuam, si enim vellem ad mentem tuam respondere, nulla foret causa indignandi, uti suppono, sed simpliciter affirmarem vel negarem: quòd si non darem signum indignationis, mentirer, quia verba sine illa circumstantia hic & nunc determinatè haberent alterum sensum. *Nec refert*, quòd talis oratio etiam possit servire fraudibus, nam hoc orationi per accidens est, quæ de se habet talem significationem, ut humano modo ex signis, quæ pono, percipere possis sensum meum, & fraudem cavere.

§. 9. Quando adjuncta signa vel circumstantiaë interrogationis faciunt orationem aliam, quàm verba sonent, mentitur, qui respondet falsò secundum sensum talis interrogationis, 194



si nullo signo externo ostendatur, quòd ad mentem interrogationis non detur responsio, ut probat *Palav. de Fide c. 2, v. g. Cajus Studiosus heri non fuit in Sacro studiosorum, hodie Professor Caji examinans absentias hesternas petit à Cajo, an fuerit heri in Sacro, Cajus respondet, fuit, & in mente intelligit in summo Templo; dico Cajum mentiri, quia si Professor expressè petivisset, an fuisset heri in Sacro studiosorum, mentitus fuisset dicendo, fuit, atqui circumstantiæ illæ examinantis absentias hesternas ab hoc Sacro studiosorum simul loquebantur cum Professore, & constituebant orationem illam petentis, an fuisset heri in Sacro studiosorum, ergo si respondeat falsò ad propositionem in illis circumstantiis factam, nullo alio signo dato, mentitur, & si hoc juret, pejerat.*

292 §. 10. Si nulla adsit rationabilis causa restringendi, videtur saltem veniale sic restringere, quia est ad minimum otiosa locutio & deceptio, fidelitati inter homines debitæ ac sinceritati aliquo modo opposita.

293 §. II. Cùm propositio 27. damnata dicat, *causa sufficiens utendi his amphibologiis &c.*, hoc ipso quòd dicat, *his amphibologiis*, sufficienter significat, quòd per amphibologias prohibitas intelligantur restrictiones illæ purè mentales, de quibus habebat propositio 26. immediatè antè damnata; additque hæc damnatio non esse licitum illis uti ob quamcunque necessitatem vel utilitatem.

294 §. 12. Ubi restrictio vel æquivocatio est licita, non est perjurium jurare talia esse vera, quæ dicuntur cum restrictione vel æquivocatione, quia per tale Juramentum confirmatur veritas, quam habet oratio, quæ tum licitè usurpatur, quomodo autem loqui possit Confessarius, si



si interrogetur de peccato audito, dicetur pluribus  
Lib. 6, quando de sigillo Confessionis.

§. 13. Secundum antè dicta debent nunc <sup>295</sup>  
post damnationem propositionum relatarum  
limitari multa, quæ passim inveniuntur apud gra-  
ves Authores, quos referunt *Wilb. Sandeus* ad prop.  
26. damnatam, *Dicast. supra.* *Moya T. 2. d. 1. q. 6.*, qui  
utè & *Carden. c. 6.* cautè est legendus, quia quædam  
ponunt, quæ meritò limitari debent. Vide etiam  
*Vind. Gob. P. 2. Prop. 21.*, ubi ex Scriptura & Ss. PP.  
confirmat, quæ diximus : Item vide *Vind. Tabernæ*  
ad prop. 11. pag. 58. & seqq. in *Collectaneis*, ubi  
plurimas citationes Auctorum refert pro licito usu  
restrictionum mentalium in certis circumstantiis,  
utè & æquivocationum, etiam in Juramento.

Q. 77. *An simulatio vel dissimulatio sit licita.* <sup>296</sup>

R. Certum est simulationem non esse licitam  
in administratione Sacramentorum, utè dicetur  
de Sacramentis : circa simulationes vel dissimula-  
tiones in aliis materiis.

§. I. *Notandum est*, quòd simulatio propriè dicta <sup>297</sup>  
seu formalis, non sit licita, quia est reale menda-  
cium, quod non committitur quidem verbo,  
fit tamen facto, perinde enim est sive quis verbo  
sive facto significet aliud, quàm quod in mente  
habet, cum factum æquè possit esse signum mentis  
internæ, quàm verbum, utè habet *S. Thomas 2. 2.*  
*q. III. art. 1. in O.*, tum autem dicitur esse simulatio  
propriè dicta & formalis, quando quis per facta  
externa intendit aliud significare, quàm in animo  
sentiat, utè v. g. si quis poculo ori admoto  
simulet se multum bibere, cum tamen parum aut  
nihil bibat, intendens ut alii putent eum multum  
bibere ; item si exercitus aliquis fugiat, intendens